

Ducaini fratres , atque ob id diversa secuti arma : Nico-
laus Venetis opibus fretus , ad mille & ducentos viros
in armis habebat , aderatque Josephus Barbarus , qui le-
gati nomine summæ rei præterat . Alexius & ipse mille
Turcos equites contraxerat . Is cum suo equitatu in val-
libus Nigri montis ad Drinonis ripam quum tumultuose
confedisset , fratrem postridie in prælium traxit , a quo vi-
ctus : præter ducentos equites , qui præcipiti fuga sibi sa-
lutem cum ipso duce quæsivere , reliqui ad unum cæsi
sunt . Canalis adhuc in Eubœa erat , quando in insulam
allatum est , centum & amplius Turcorum triremes cir-
ca Tenedum esse , ac quotidie novis supplementis illic
classem augeri . His rumoribus ex Chalcide excitus , in
Lemnum transmisit , atque ex Lemno in Himbrum: ubi
sub ipsum appulsum ex insulanis cognovit , ex altera par-
te insulæ Turcorum classem appulisse : atque quum ingen-
tem navium numerum latino verbo nequirent exprimere ,
capillorum attractu innumeratas esse significare conabantur .
Venetus rem tantam neque temere credidit , neque omni-
no contempsit : apparebant omnia , ut folet , terribilio-
ra , quam essent insulanis visa , tumultuose referri . Ut
igitur rem exploratam haberet , Laurentio Lauretano man-
dat , ut cum decem lectis triremibus in hostem eat : quem
si sexaginta & non amplius habere triremes senserit , in
eum proras dirigat , affuturum se statim subsidio cum re-
liqua classe : si plures essent , detrectata pugna , in altum
evaderet . Præmissus igitur Franciscus Quirinus cum trire-
mi una , ut quam posset ex proximo hostium classem ex-
ploraret , jussus certis bombardæ iactibus rem procul signi-
ficare . Cognita Quirini signo barbarorum multitudine ,
confestim Veneta classis retro aversa in altum festinat eva-
dere . Triremes quæ præcesserant , & ipsæ , conspecta ho-
stium classe , velo remisque innixæ fugam capessunt : nec
cunctatione ulla opus fuit . Nam speculatoria Veneta
procul inspecta , inde reliquis quæ non longe sequeban-
tur , confestim decem hostium triremes ex sua statione
digressæ , Venetam classem fugiendi studio disiectam usque
ad